Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

minum dixit. Vel tu sacrifica ut possis
que imminent uitare tormenta. Sat-
urninus respondit. Xpianus sum dei pre-
cepta custodiens. ydolis sacrificare
prohibeor. Proconsul ad reuocatum
dixit. Numquid et tu horum sequeris
uoluntatem? Reuocatus respondit.
Horum plane sequor. ut deum cum his
uidere promerear. Proconsul dixit Sa-
crificate dijs ne uos diuersis interficere
cogar tormentis. Responderunt deum
adoramus. et ut ad eum quemadmodum
dicis peruenire mereamur uotis opta-
mus. Proconsul precepit ut uiris remo-
tis felicitatem et perpetuam offerrent.
Et ad felicitatem dixit. Que dice-
ris? Respondit. Felicitas. Proconsul
dixit. Miserere tui puella. ne uite istius
iocunditate et lucis splendore gra-
ui tormentorum genere afflicta pri-
ueris. Felicitas respondit. Ego ad
eternam uitam et perennem splendorem
per supplicia opto peruenire. Proconsul
ad perpetuam dixit. Tu quid cogitas?
Sacrifica. ne his quibus obstinacio-
ne coniungeris. equa pena socieris.
Sancta perpetua respondit. Xpiana sum.
et ut merear esse perpetua. in xpisti no-
minis confessione permanebo. Uem-
entes autem parentes eius pater et
mater fratres et maritus cum paruulo
filio ante proconsulis tribunal. tali
conabantur alloquio fidei eius molli-
re constanciam. dicentes. Miserere
senectuti mee si florem tue non con-
sideras iuuentutis. et si que tibi im-
minent tormenta estimas contem-
nenda. saltem parentibus tuis condo-
le. ne per tuam obstinacionem perenni i-
morem infamia. Perpetua uero

stabat immobilis atque secura. et tota
in martirij desiderio iam in celis
oculos suos habens. ne contraria per-
suadentes uideret. ad superna se su-
stulerat dicens. Non agnosco paren-
tes creatorem omnium ignorantes. qui
et si essent ut in xpisti confessione persistere
persuaderent. Proconsul autem paren-
tum lacrimis motus dixit ad eam. Ex-
citet te ad misericordiam fletus parentum.
Quod si hos non audis. uel uoces tui
infantis ausculta. Pater uero eius
iactans infantem in collo eius. et flens
rogabat eam dicens. Miserere mi-
uitam qz tua secura parentibus. Be-
ata uero perpetua proiciens infantem.
ac parentes repellens dixit. Disce-
dite a me operarij iniquitatis. quia non
noui uos. Ego non inmerito alienos
estimo. quos a redempcione xpisti
uideo separatos. Tunc proconsul uidens
eorum constanciam. beatissimos martires
saturum saturninum et reuocatum fla-
gellis cedi precepit. et in carcerem
retrudi. dans sentenciam ut nata-
li cesaris bestijs traderentur. Iterum
perpetua uisionibus animatur. Uidit
egipcium horrore et nigredine tetrum.
sub eorum pedibus uolutantem. Quam
cum martiribus retulisset gratias egerunt
deo. quia prostrato humani generis
inimico gloria martirum se consecratos
esse cognouerunt. Contristatis
uero [...] eis de felicitate. quod mense
oc[...]tauo onus gestaret in utero.
sta[...] fuerunt preces per ea ad do-
mi[...]num fundere. Qui dum
in [...] oracione persistunt. enixa est.
Natali ergo cesaris procedente a pro-
consule produci iubentur e carcere.